Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2025

Quelle:
Copyright:

Hac in Praefatione postquam multa adtulisset Autor de *Arii*, *Nestorii* aliorumque Sententiis Divinitati *Jesu Christi* inimicis, tandem ad scopum propius accedens ita prosequitur:

Staphylus eat, Christum et creaturam suis
Inductionibus probet
Esse, et perennantem Creaturam quidem
Et friuolis et impijs.
Et Deificatum Christi Jesu Dominicum
Negare corpus audeat.
Eat, nocens nocere pergat amplius,
Injurias injurijs
Novis priores strenue multiplicet
Injuriosus, sordidus
Magis magisque sordeat, donec suam
Iniquitatem impleverit. &c.

Tam ad ipsam hanc *Praefationem*, quam ad *Defensionem* sequentem plenis modiis admensus est *Langus* Patrum Graecorum, Latinorumque loca in rem, ut rebatur, suam. *Defensionis* hoc initium:

Quid est, quod audio Deus, quaeso, bone!
Staphylum referre, non creaturam modo
Nunc esse Christum, sed Creaturam fore
Veram futuris usque et usque seculis? &c.

Ad haec infra notatur: *Verba Staphyli ex epistola quadam eius de Joanne Lango ad amicum quendam scripta. Quibus verbis ille Langum ad singulare et publicum certamen veluti gladiator aut Mirmillo prouocat:* Ipse Langus viderit, quam rem agat. Carnem Christi esse creaturam, et futuram semper creaturam, non Deum, et ut ipse alicubi dixit, Condeum publico certamine, si ita placet, experiatur &c. *Atque ut hoc sic Lango per eum amicum denunciaretur, petijt.* Vides Controversiae statum, et *Langum* a vero aberrare, qui Naturas τȣ Θεανδρȣ confundat. PP. sensa, quibus opinionem suam stabilire nititur, excussa et exposita habes in *Controv. Fidei* Card. *Bellarmini* T. I. L. 3. et plenius apud *Petavium Theol. Dogm.* T. V. L. VII. c. 6. ubi Graecorum locutiones Θεοφορος, Θεοδοχος Σαρξ, Ανθρωπος κυριακος &c. non in omni rigore prolatae expenduntur. Hausisse *Langum* errorem e conterranei sui *Gasp. Schwenkfeldii* Scriptis conjici quidem possit. Agunt de Viro Jurisconsulto, non Theologo